

Sed ne propter dictarum diocesium latitudinem monasteriorumque in eisdem constitutorum multitudinem ac ipsorum eciam visitorum ab invicem longam distanciam, qui quamquam omnes simul difficulter in visitacione huiusmodi concurrere possent, ipsos visitatores et visitandos nimium gravari vel ipsorum monasteriorum visitaciones preiudicialiter differri vel penitus impediri contingat, ipsis visitoribus certos limites et terminos specialiter deputavimus et deputamus per presentes: monasteria videlicet diocesis Magdeburgensis abbatibus monasteriorum in Berga extra muros Magdeburgenses et in Huesborch predictis, utputa illis visitandis monasteriis viciniore, visitanda committimus presencium sub tenore. Quocirca vobis omnibus et singulis abbatibus et abbatissis singulisque personis monasteriorum diocesium et locorum ac civitatum predictorum exemptis et non exemptis dicti ordinis sancti Benedicti utriusque sexus ubilibet constitutis dicta auctoritate apostolica in virtute sancte obediencie ac penis excommunicacionis quam in singulares personas et interdicti quam in loca et monasteria vestra latis sentenciis ferimus in hiis scriptis districte precipiendo mandamus quatenus pre-nominatos de Berga et Huesborch abbates a nobis visitatores deputatos uti apostolicos visitatores et nuncios cum omni reverencia et obediencia quibus apostolice sedi astringimini suscipiatis et ad ipsorum visitacionis officium in omnibus exequendum libere admittatis, omnem illis vestrorum monasteriorum et personarum quarumcumque a capite usque ad ultimam disposicionem et condicionem plenius manifestando ac omnia et singula, que visitatores ipsi secundum regulam et statuta ordinis vestri fieri et observari mandaverint seu ordinaverint, reverenter acceptetis et studeatis diligenter ut tenemini eciam observare. Et si secus feceritis quod absit, ex tunc sepe dictis visitoribus per presentes committimus et eciam districte precipimus, ut vos et quemlibet in premissis inobedientem cuiuscumque condicionis seu status fuerit post trium dierum canonicam monicionem ultra penam ordinis premissam excommunicacionis ac monasteria inobediencium interdicti ecclesiastici per nos ut prefertur in scriptis latis sententias incidisse declarent, absolucionem vero omnium et singulorum, qui prefatas nostras sentencias incurrerint, nobis et apostolice sedi tantummodo reservamus. Et ut dictus sacer ordo vester ad clariorem continuo devenire possit reformationem, volumus et harum serie ordinamus, quod anno iam proximo futuro et deinceps singulis trienniis usque ad plenorem vestri ordinis reformationem capitulum provinciale vestri ordinis in dicto monasterio Berga extra muros Magdeburgenses, in quo abbates iam per nos visitatores deputati presideant, debeat celebrari quodque eciam ad capitulum illud omnes de prefatis diocesibus qui ad provincialia capitula venire consueverunt accedere teneantur sub penis prescriptis. Datum Magdeburge sub nostro sigillo die Lune vicesima octava Iunii anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Nicolai prefati divina providencia pape quinti anno quinto.